

juxta Psal. CXXXIX. v. 11. Sic etiam gradus status Ex-
altationis satis evidenter indicantur, quando certis
indiciis notantur & significantur, tum per *vita post
mortem restitutionem*, tum per *vita denominationem*, v.
20. tum per *viventium post mortem confessionem & enar-
rationem*, secundum illud Psal. CXXXIX. v. 17. *Non mo-
riar, sed vivam, & narrabo opera Domini*, tum per *no-
vam vestium Messie exornationem*, tum in *vita nova*, quia
Protoplasti sacrificiales vestes & prophetales acceperunt,
vers. 21. tum in gloriosi novi cultus Messiani partim
inchoatione, partim *continuatione*, quia *novis justitie
vestimentis DEO* gratisimum cultum, quoad spi-
ritualem exornationem, tanquam veri DEI filii
coelique Candidati, instituerunt, suamque dignitatem
& exaltationem in exaltato Messia demonstrarunt.

§. XIIX.

Accedimus jam in *Compendio Christologico* secun-
dum Ordinem ad officium, quod juxta Scripturam
est *tergeminum, Propheticum, Pontificium & Regium*;
Propheticum administratur in *Verbo*; *Pontificium* in *Sa-
tisfactionis λύτρω*; & *regium*, in *regio gladio vel sceptro*;
Et certe per Verbum Veritatis Messias *primas inimi-
citas posuit, & oris sui gladio Apoc. I. 16. cunctos hostes in-
fernales* subjugavit, Rom. XVI. v. 20. *Quia Deus pacis
conterit Satanam sub pedibus nostris*, quod ostendunt
illustrissima tentationum omnium certamina contra
serpentem antiquum Matth. IV. 7. & seqq. tum solo
DEI verbo omnes antiqui serpentis tentationis ictus
excepit, atque divina virtute *projecit*, ita quidem ut an-
te impudentissimus spiritus spoliatis per verbum vir-
tutis